

Summa Pars Septima

immediate coniungens nos Deo, cōiungit & membris ecclesie triumphantis & militantis. Id enim quod in omni virtute est causa meriti efficit, charitas. Est ergo pro omnibus uirtutibus appetenda, & etiam habita conseruanda.

2 † Pro quo notandum est, q̄ sicut dicit Petrus Lombardus tertio sententiarum, dist. 27. ca. 2. Charitas est dilectio, qua diligitor Deus propter se, & proximus propter Deum, uel in Deo, propter Deum dicitur quantum ad illos, qui nondū sunt iusti, qui ad hoc amandi sunt, vt iusti sint, & in Deo propter gratiam maneat. Vnde Augustinus doct̄or egregius. Qui (inquit) amant homines, aut quia sunt iusti, aut ut sint iusti amare deberet. Item Aug. in quadam sermone de sancto Stephano, & ponitur in floratio Barthol. titulo de dilectione inimici. Quare (inquit) dicit Christus. Diligit inimicos vestros, utique ut inimicos facias amicos. Vnde dicit Apostolus ad Roma. 12. cap. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si fit, potum da illi: hoc autem faciens carbones ignis congeres super caput eius, id est exēpla charitatis sibi præstabis. Sed contra hæc tu quisque es, qui ita non diligis, sed figis genua, elidis frontem in terram, clamans & dicens. O Deus, si moriar inimicus meus, si quid apud te pro merui, occide inimicum meum. Et utique tu qui sic oras, ut homo moriar malus oras contra malum, & sic facti estis iam duo mali, ille prius male agendo, deinde tu male orando incipis esse malus, & dicens. Domine occide malum. Respondet tibi Deus, quem vestrum prius occidam, cum ambo iā estis mali. Attende iam & aliud. Iudex homo per seipsum reum hominem non occidit: sed ipse iubet & spiculator occidit. Dicit autem iudex, occide, & tortor occidit, & tu quando dicens. Domine occide inimicum meum, te facis iudicem, & Deum queris tuum esse tortorem. Sed respondebit tibi Deus, non ero profus peccatoris non ero tortor: sed pœnitentium liberator: quia nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur ex viuat. nam si voluntatem tuam habuissim, te prius occidissim, nonne antequam inuitatus

venires ad me, & nomen meum male uiuentis blasphemanti, & manda a mea, & legem meam contemptibiliter præteristi, nonne me in quis malis operibus frequentissime irritasti, nonne me in præceptis & feruis con empisti: si autem te occidissim meum inimicum, quomodo modo te facerem amicum. Ut quid igitur male orando contra proximum tuum doces, quod non feci in te. Hæc Augustinus. Ideo non sic: sed attendendum est, quod sicut Petrus Lombardus dicit ubi prius, fundans se super verbis Christi dicentis Mathei. 22. ca. Duo sunt charitatis mandata. Vnum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in lege mandatum. Alterum pertinens ad dilectionem proximi, simile priori. Primum est hoc. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum est simile huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Pro quo notandum, quod licet hic non recitetur explicite nisi duo mandata, tamen Exodi. 20. recitantur decem, quorum tria pertinent ad dilectionem Dei, & uocantur mandata primæ tabulae secundum Augustinum, pro eo scilicet, quod scripta erant in prima tabula, quam Deus proprio digito scripsit Moysi, populo Israeliticō ad ministranda, ut patet Exodi. 30. & 34. capitulo. Et septem alia pertinent ad dilectionem proximi, & uocantur mandata secunda tabulae secundum Augustinum, pro eo scilicet, quod scripta erant in secunda tabula, quas dominus scripsit populo suo ad ministrandas. Et hæc tria mandata primæ tabulae sunt quasi quedam explicaciones declarantes primum mandatum pertinens ad dilectionem Dei, quod Christus recitat in euangelio ubi supra, cum dicit. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & cetera, sicut & septem mandata secunda tabulae sunt explicaciones declarantes secundum mandatum Christi euangelicum pertinens ad dilectionem proximi, cum dicit. Secundum est simile huic. Diliges